

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Pontani De Immanitate

Pontano, Giovanni Gioviano

[S.l.], 1519

Homines duplici modo immanes fieri & ab impetuvene reo:& ab
impetusanguinolento

[urn:nbn:de:bsz:31-270824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270824)

De Immanitate.

mis respublica redit Syllana proscriptio &c. Meminit Plutarchus in Antonio. Plutarchus

Homines duplici modo immanes fieri & ab impetu venereo: & ab impetu sanguinolento.

Beluarū genus duplex

Beluarum duplex cum sit genus: earum scilicet: quæ solo gradiuntur: nec vna quidem natura pastus: sed aliæ tantum pabulo alantur: frugibusque: ac fruticibus: aliæ carne ac cruore. Vtrumque tamen genus salax est: atque in libidinem pronum. Et in primo quidem genere numerandæ sunt capræ: oves: alini: sues: quicque facile dominantur: equi: bouesque. In altero leones: ursi: tigrides: elephanti. Licet ex his quoque arte tamen multa: temporeque non exiguo non rari mansuescant. Itaque pecuum omne: ac caprinum genus licet in Venerem ruat: in feritatem tamen sanguinolentam vix unquam. At ursi: leones: tigrides: elephanti: quin etiam tauri: canes item in Venerem pariter ac rabiam incensi ferti solent: atque in feritatem: rabidamque voluptates ac pastus. Itaque duplex & ipsa feritas est: & quæ Veneris tantum rapitur impetu: & quæ rabido ac cruento. Nam & Molossici canes: quicque maiore sunt statu corporis: canes minores quasi alterius generis morsibus distractos dilaniant. Homines igitur in feritatem delapsi du-

Duplex feritas
Molossici
canes

plici & ipsi modo immanes fiunt: & Venereo ab impetu: & rabioso ab illo ac cruento appetitu. Ita q̄ non solum per sanguinolentiam ac cruentationem: verumetiam per vsu[m] libidinis: quinetiam & pastus: perq̄ victū ipsum immanes efficimur. De cruentatione autem quoniam multa quidem diximus: reliquum est: de rebus vti dicamus Venereis: post etiam de pastu.

SCHOLIA.

Belluarum duplex. Lege Aristotelem de natura animalium, cuius libros beneficio Theodori Gazæ habemus & foeliciter & erudite latinitate donatos, admodum lectu dignos, cū quod doctissimus ille Barbarus eos efferat laudibus, tum qd̄ omnino nulla pars vitæ humanæ est, quæ non suorum officiorum exempla commodissime ex eis accipere possit.

De natura animalium libri Arist. commendantur

Hermolaus

Molossici. Probatissimi canes sunt Molossici & Spartani, præstant Molossici robore, at Spartani & Crerenses & sagaces ac præsentanei, nec velocitate degeneres. Virgil. in 3. Georg. a cremq̄ Molossium Pasce sero pingui, Horat. in Cæpodo Nam qualis aut Molossus. Seneca in Hippolyto. Teneant acres loca Molossos, Qui a Flacco scite & apposite amica vis pastoribus nominantur, Quum per eos & a lupis & a furibus tui reddantur. Hinc & custoditicij dicti sunt.

Molossici

Maro.
Horat.
Seneca

De immanitate quæ versatur circa Veneream voluptatem.

Igitur & pecora & animalia quæ dicuntur mutata: miscentur matribus nullo habito concubitus discrimine: aut lege seruata. Quocirca qui homines matribus miscentur: aut fororibus: & quibus coniugi lege vetitū est: & cautum: imma-